



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Communio sacra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

& vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali coram S. D. N. Clemente diuina prouidentia Papa viij. Proposita quaestione.

Virum liceat per literas seu internuncium, confessario absenti, peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere.

Sanctissimus Dominus noster auditis uotis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis, & Reuerendissi. Dominis Cardinalibus, contra hareticam prauitatem, generalibus Inquisitoribus mature ac diligenter considerata; hanc propositionem scilicet licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio, publicis, priuatisue lectionibus, concionibus, & congresibus doceatur neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur; quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiue tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe seu indirecte, deduxerit, præter excommunicationem latae sententiæ quam ipso facto incurrat, & a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ maiori Pœnitentiario; nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolui, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat. Quintilianus Adrianus Not. publicata fuit Romæ die, 19. Iulii 1602.

COMMVNIO SACRA.

PRÆTER Summistas sciendum est, ad declarationem c. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remis. Eugenium 4. declarasse quod communicans in hebdomada sancta, vel infra octauam Paschæ satisfacit præcepto ecclesiæ die 8. Iulii. 446. Pontificatus sui anno 10. quam refert. Nauar. in man. confess. c. 21. nume. 45. quæ non est in Bullario, sed eam inuenies per extensum impressam in priuilegijs Minimorum fol. 139.

CONGREGATIONES ILLVSTRISSIMORVM DD. *Cardinalium & earum facultates.*

Sixti Pape Quinti Constitutio, qua Congregationes quindecim certo S. R. E. Cardinalium numero constituantur ut Romana Curie status ecclesiastici, ac vniuersæ Reipublicæ Christianæ negotia & causæ quæcunque commodius audiantur, & facilius expediantur proprie denique vniuscuiusque Congregationis functiones, & facultates explicantur.

Sixtus episcopus seruus, seruorum Dei ad perpetuam
rei memoriam.

Immensa æterni Dei omnium opifex sapientiæ sine vsque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordia nexu copulauit, suauiter-
Q 2 que